



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Toleti S. R. E. Cardinalis Summa Casuum  
Conscientiæ, Sive De Instructione Sacerdotum Lib. VII**

**Toledo, Francisco de**

**Coloniæ Agrippinæ**

14. De fructibus sumptionis Eucharistiæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40916**

nis eius. Representat autem optimè hoc sacramentum mortem & passionem Christi: in hoc enim, quod species panis ex vi significationis representant & continent corpus, vt à sanguine separatum: & species vini continent, & representant sanguinem à corpore separatum, mors non quæcumque, sed quæ per passionem significatur, representatur. Est autem representatio maxima: nam ipsamet quæ representantur, seu significantur, sunt præsentia, puta, corpus & sanguis.

Secundus, fuit institutum in argumentum maximi & feruentissimi amoris Christi erga nos: discessurus enim ad Patrè ex hoc mundo, seipsum in pignus amoris reliquit.

Tertius, fuit etiam institutum in cibum spirituale: vt enim corpus cibo naturali indiget, vt in vita sua sustentetur, ita anima indiget cibo spirituali, vt in vita gratiæ conseruetur & augeatur. Hic cibus est ipsemet Christus Dominus sub speciebus panis & vini nobis datus.

Quartus, fuit institutum in sacrificium Religionis Christianæ: voluit enim Dominus nos habere sacrificium, quod Deo in remissionem peccatorum offerremus. Hoc autem noluit esse tauros vel vitulos, vel alia huiusmodi, sed quod ipse obtulit, hoc idem voluit nos offerre. Ipse autem seipsum obtulit in cruce per passionem & mortem, & nobis etiam ipsum reliquit offerendum, sub panis tamen & vini specie. Vide quantum excedat hoc nostrum sacrificium omnia legis veteris sacrificia: in qua creatura, in nostra autem creator offertur. Hæc est oblatio munda, quam Deus Zach. i. dicebat sibi ab ortu solis ad occasum, id est, in toto mundo offerendam. Omnia hæc quatuor in vno hoc sacramento venerabili simul continentur, & coniunguntur, vt sit passionis memoriale; amoris argumentum & pignus; cibus spiritualis; & sacrificium mundum.

*De fructibus sumptionis Eucharistiæ.*

CAPVT XIV.

**M**ultiplex est fructus, qui ex hoc prouenit sacramento. Primus est, viuificare. Iuxta illud Ioann. 6. *qui manducat me, & ipse viuit propter me.* Dat ergo vitā, quæ est per gratiā: vnde quoties homo sine conscientia mortalis peccati accedit, probabiliter, & rationabiliter putans se esse in

gratia, licet verè non fit, per hoc sacramentum consequitur primam gratiam, & mortalis peccati remissionem; vt dicit S. Tho. 3. p. q. 79. art. 1.

Secundus est, nutrire: sicut enim cibus corporalis nutrit corpus, augendo substantiam & reparando quod deperditum est: sic etiam sacramentum gratiæ dat augmentum, & quod deperditum est ex feruore per venialia, reparat, & renouat.

Tertius est, confortare. Anima enim forti fit, & vigorem quendam acquirit, & vt tentationes vincat, & vt mundi calamitates, & corporis labores fortius ferat, sicut corpus cibo fortificatur.

Quartus est, perseuerare: in gratia enim suscepta conseruat hominem, & à peccatis futuris præseruat: sæpe enim homo in peccata laberetur, à quibus virtute cibi huius liberatur.

Quintus est, satiare. Anima enim Dei capax non impletur creaturis; ob id, sæpe est in appetitu homo, & ignorat quid appetat. Rursus, habet appetitus, modo horum, modo illorum, hoc sacramentum animam satiat.

Sextus est, lætificare. Dat enim pacem, & gaudium animo. O quoties homo tristatur, & patitur melancholias, & angustias, ob res creatas, quæ expellerentur communionem sanctissimam, si ad eam non accederet?

Septimus est, sedare: vt enim dicit Cyrillus lib. 4. sup. Ioan. cap. 17. sacramentum hoc sedat sæuientem membrorum legem, & animi perturbationes extinguit.

Octauus, copulare & vnire. Vnit enim hominem cum Christo, & ipsos homines concordia quadam inter se conglutinat: nam multum valet Sacramentum hoc ad pacificandos animos inter se discordes.

Nonus est, inflammare. Accendit enim deuotionem ad charitatem erga Deum, & hominem facit feruere.

Vltimus est, perducere, puta, ad gloriam. Dat enim in via ista desiderium mirabile status illius beati, quem speramus, & illuc transportat corda, vt à terrenis homo separatus *vere dicat*

*ibi nostra fixa sunt corda, vbi vera sunt gaudia.* Hos, & plures fructus Eucharistia facit in animabus fidelium, qui debite ad ipsam accedere student, & satagunt.